

1495  
Fœdus inter  
Pontificem,  
Imperato-  
rem, Hispani-  
am regem,  
Venetos, &  
Mediola-  
nensium du-  
cem adver-  
sus Caro-  
lum.

tificis, dignitatem, libertatem, jura eorum, ditionesque omnium tuendi & muniendi causa. quo ex fœdere equitum trigintaquatuor millia, peditum viginti confecta parataque habere universi tenerentur, suo cuique sigillatim attributo numero. Is erat, equitum quidem Alexandro quatuor millium, Maximiliano sex, Hispaniæ regibus octo, reipublicæ totidem, Ludovico item octo; peditum vero singulis quatuor millium. quem si quis equitum peditumque numerum propter longinquitatem itineris, ac rei bene gerendæ celeritatem mittere in tempore non possit, ei sit in socios eorum stipendium conferendum auri sexcentenæ libræ: ii exercitum pro illo conficiant. Quod si classis bellum indigeat, quibus adest parandarum navium facultas, ii tantam, quanta opus erit, parent, ab reliquis pro sua cujusque parte stipendium attribuatur. ea lex ejus fœderis fuit. quo omnino in conficiendo cum tot adessent legati; tot civibus tractandæ rei adhibitis, toto demum vocato sæpius & consulto Senatu: tanta tamen fuit jussu Decemvirum in Patribus reliquisque omnibus continendæ vocis cura, ut Philippus Caroli regis legatus, cum in curiam quotidie ventitaret, atque ab legatis reliquis appellaretur, nihil ejus tamen cognoscere potuerit. Itaque cum postridie ejus diei, quo die scripta lex est, in curiam vocatus, a Principe fœdus esse percussum intellexisset, & nomina fœderatorum cognovisset, mens pene hominem reliquit: tametsi Princeps ei dixerat, *Ea quæ fecissent, non propterea esse facta, uti bellum cuiquam inferrent; sed ut, si inferretur, propulsarent.* Demum is, revocato ad se paulisper animo, *Quid, inquit, meus rex in Galliam reverti non poterit?* Tum Princeps, *Ille vero, inquit, poterit, si redire amicus volet, nosque illum rebus omnibus juvabimus.* quo responso accepto discessit: atque ubi curia egressus, remensis quas ascenderat scalis in aream descendit, ad scribam Senatus, qui eum comitabatur, conversus, *Rogo te, inquit, sodes, mibi eum sermonem recenseas, quem Princeps mecum habuit: nihil enim jam ejus memini.*